

Punctatore exornatum scimus, cuius vero textus vocalibus longe est vetustior, quod docet laudatus Michaelis in Dissert. de Codicibus MSS. Halæ Anno 1706. habita. Ostendit enim ibi veræ vetustatis criteria a Clar. Jablonski in præfat. Biblior. Berolinens. §. 37. data in hoc Codice apparere. 1] Scripturam esse elegantem sine artificio, & præca simplicitate venerabilem. 2] parciolem usum esse literarum majuscularum, & minuscularum, inverfarum &c. 3] rarius esse Keri & Cethib, quam in Vulgatis nostris Codicibus. Eisdem versibus, iisdemque verbis scriptos affert porro MSS. Codex, quem Cl. Michaelis secundum nominat. Licet quidem de ejus antiquitate in ipso Codice hætenus nihil sit observatum, fata tamen docent, quod ad minimum ante Annum 1346. punctis fuerit instructus; Quot vero annos scriptura punctationem superet, certo definire non licet. Hæc doctiss. Michaël. in allegata Disp. § IX. In annotatione ad Biblia Hebraica, quæ adhuc sub prelo sudant. Observat idem Clariss. Vir, punctatorem Codicis hujus nostris duobus versiculis nulla puncta subjecisse, sed in margine indicasse, illos ad Paralipomena pertinere. Ex qua observatione colligimus, scribam literarum hos versus ex Codice non punctato descripsisse, sed punctatorem aliud quid ex Kimchio edoctum, eosdem prætermisisse.

§. XIII.

Missis Codicibus MSS. ad impressos progredimur, & primo loco producimus Biblia Complutensia, quæ Card. Ximenii cura & sumptibus, Anno 1517. prodierunt. In his, uti & in illis, quæ in officina Commeliniana Anno 1616. vel potius 1586. cum Annotationibus Vatabli, vel rectius Roberti Stephani, ut plurimi censent, ad Editionem Complutensem sunt excusa, nostri versus, quoad verba cum iisdem concordant Codicibus, quos hætenus vidimus. Et quoniam, tradente Gomesio in vita Ximenii, pro VII. hebræis exemplaribus MSS. ex diversis regionibus conquistis quatuor millia aureorum erogata sunt, nemo dubitat, illa Biblia

D

ad